

commodationem influxus divini ponit etiam Hieronymus in illis actionibus voluntatis, ad quas Deus specialiter per gratiam præmovet. Et similia habet epist. 150 ad Hedibiam, q. 10, ubi, post vocationem gratiæ, absolutam potestatem consensus vel dissensus voluntati tribuit. Et ex ejusdem libera facultate, rationem reddit, cur ex eisdem vocatis quidam veniunt, alii obdurescunt: *Quia non salvat (inquit) irrationabiliter, et absque judicii veritate, sed causis præcedentibus, quia alii non susceperunt Dei filium, alii suscipere voluerunt.* Quam rationem nolunt defensores prædeterminationis admittere. Hieronymus vero illam censet necessariam, saltem in ipsa executione, quia discretionem, per solam prædeterminationem, rationabilem non censuit. Tandem, in epist. 146 ad Damasum, de Filio prodigo, verba illa: *Divisit illis substantiam, exponit: Id est, dedit illis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, et ut viveret unusquisque, non ex imperio Dei, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate.* Ubi per imperium, non legem, ut per se constat, sed *motionem physicam* intellexit Hieronymus, sicut dicere solemus membra externa imperio voluntatis moveri, eamque per *necessitatem* explicat, quia tale imperium necessitatem imponit, si omnino ad unum determinat.

24. *Allegantur Tertullianus et Cyprianus.*— Denique merito pro hac parte allegare possumus Tertullianum, lib. de Anim., cap. 21, et lib. 2 contra Marcion., cap. 5 et sequentibus, et Cyprianum, epist. 55 ad Concilium, et alios qui, agentes de arbitrii libertate, semper dicunt ita subjeci gratiæ, vel ita moveri divinis inspirationibus, seu vocatione, ut electio, seu (quod idem est) determinatio ejus potestati relinquatur, quod certe cum prævia et totali determinatione ad unum, per solam Dei voluntatem immissa, intelligi non potest. Unde etiam dixit Tertullianus, lib. de Exhort. ad castitat., cap. 2, non esse soli Dei voluntati tribuendum, quod ab hominis pendet voluntate; quem locum cum aliis supra, lib. 3., cap. 48, satis expendimus. Possuntque hic adduci testimonia Patrum, dicentium suppositionem antecedentem repugnare libertati, quos, partim in prolegom. 1, agentes de indifferentia necessaria ad usum libertatis, partim in prolegom. 2, tractando de præscientia Dei, adduximus. Item possent huc afferri Patres docentes cum eisdem auxiliis prævenientibus posse hominem converti, et non alium. Nam illud pronuntiatum non potest cum auxilio prædeterminante

subsistere, ut defensores ejus fatentur, et ideo illud impugnant. Sed de illo puncto proprium caput postea instituemus.

CAPUT XLI.

ANTIQUOS PATRES NIHIL PRO PHYSICA PRÆDETERMINATIONE NOBIS TRADIDISSE.

1. *Respondetur ad objecta.*— *Allegatur primo Dionysius.*— In hoc capite ad ea respondimus, quæ ex auctoritate eorumdem Patrum adversarii nobis objiciunt, simulque ab auctoritate negativa eorumdem Patrum argumentabimur. Nam certe verisimile non est, si tale genus auxilii efficacis necessarium est ad salutem, omnes hos antiquos Patres illud ignorasse, aut si illud cognoverunt, tanto silentio illud præterisisse; sed nulla mentio talis auxilii in his Patribus invenitur; ergo vehementis conjectura est vel nunquam dari, vel saltem non esse necessarium. Minorem non aliter probo, nisi quia neque in his, quæ in his Patribus legere potui, aliquid hujusmodi inveni, neque defensores alterius sententiæ, qui majori fortasse diligentia illud quæsierunt, id nobis allegant, quod breviter ostendam discurrendo per ea quæ allegata invenio. Primo enim allegatur Dionysius; capite 4 de Divinis nominibus, dicit Deum vocare amorem, quia *generat, seu creat in nobis, et immittit amorem, et quia ad illum pertinet quod moveat, et causet motionem aliis.* Sed hæc omnia, loquendo in ordine gratiæ, verissime dicuntur propter infusionem charitatis, tam habitualis quam actualis, per excitantem et adjuvantem gratiam, neque aliud ex illis verbis colligit D. Thomas, explicando illa in lect. 11; citatur etiam Dionysius in cap. 5 ejusdem libri, in ultima ejus parte, ubi agit de divinis exemplaribus ac prædefinitionibus. Sed ille locus pertinet ad generalem providentiam, vel rerum creationem, ut alii volunt, et ideo illum sufficienter attigimus in lib. 3. cap. 37.

2. *Secundo, Ephrem.*— Secundo, allegatur Ephrem variis in locis. Primo, in sermone de vita relig., satis post medium, ubi comparat gratiam speculo, et inter alia dicit: *Absque gratiæ adminiculo, non prævaleret ei cor placere viribus suis, verum ut ipsi placeat, ab ea accepit;* et infra: *Homo, sine gratiæ adjutorio, pauper est, et bonorum inops; si vero ipsam gratiam promeruerit, poterit illius ope virtutes exercere atque perficere.* Hæc autem et similia, quid pertinent ad gratiam prædeterminantem?

Allegantur præterea hæc verba: *Anima, gratia et ejus adjutorio destituta, inefficax et inutilis est.* Sed illa verba nec formaliter inveniuntur in Ephrem, nec quidquam referrent; nam solum probant necessitatem gratiæ, non efficacem prædeterminationem. Est ergo illud testimonium egregium, ad commendandam gratiam; ad probandam autem vel insinuandam physicam prædeterminationem, inutile omnino est. Imo, si attente legatur Ephrem, non minus commendat cooperationem et liberam applicationem voluntatis, et nimium illi tribuere videretur, nisi ad fideles et gratia præventos loqueretur.

3. *Idem Ephrem.*— Deinde allegatur in serm. 3 de Compunct. cord., solum quia inter multiplices petitiones gratiæ hanc interponit: *Da mihi medicamentum efficac quo plenissime ab occultis meis curer vulneribus.* Sed quis non videat quam sit inefficax testimonium? Nam ad litteram postulat contritionem, quæ est medicamentum efficac peccatorum; et, licet postularet auxilium efficac, non ideo postularet prædeterminationem physicam, sed illam quam serm. 1 vocat *dulcem protectionem, et illuminationem,* et quam, in opere de Divin. grat., vocat *custodem animæ, magistram invincibilem, et gubernatricem animæ;* quibus verbis et similibus, moralem modum operandi prævenientis gratiæ demonstrat. Et quia illa non prædeterminat voluntatem, admonet: *Cum promptitudine igitur animi morem ipsi gerito, et cuncta tibi perspicua reddet.* Denique allegatur idem Sanctus in confessione, seu precatione ad Deum, quæ incipit: *Sana me, Domine,* propter sequentia verba: *Quemadmodum terra, licet seminata, nequit a seovere germina, sine tuæ bonitatis visitatione, ita neque cor meum eloqui poterit beneplacita tibi, beneficio gratiæ tuæ, nisi per ipsam fructificaverit justitiæ fructum.* Ex quo inferunt, ex mente hujus Patris necessarium esse, non solum ut gratia fructificet, sed etiam ut faciat liberum arbitrium fructificare. Sed imprimis Ephrem non dicit an gratia faciat liberum arbitrium fructificare, necne, sed solum dicit cor hominis non posse sine gratia fructificare. Deinde, licet id verum sit, non sequitur quod gratia id faciat prædeterminando, sed moraliter inducendo, et cooperando, simulque efficiendo. Denique quod in illo loco intenditur, et optime probatur, est, necessarium esse ut Deus incipiat seminare in anima per gratiam prævenientem, non tamen id satis esse ad ferendum fructum, nisi gratia etiam adjuvet, et

sæpius animam visitet, quod totum sine prædeterminatione physica fieri potest, et magis consentaneæ ad naturam hominis liberam fit.

4. *Tertio Basilius.*— Tertio, citatur Basilius, lib. de Spirit. Sanct., cap. 8, ubi tractans illud Apostoli ad Rom. 8: *In his omnibus superamus per eum, qui dilexit nos,* ait: *Nequaquam hac voce humile quoddam ministerium indicat, sed auxilium potius, quod per imperium suæ potentiæ operatur in nobis, sicut et ipsum alligavit fortem, diripuitque vasa illius, videlicet nos, quibus ad omnia mala opera fuerat abusus, fecitque vasa utilia Domino, apparatus ad omne opus bonum, ob promptitudinem illius, quod erat in nobis.* Sed his etiam verbis nullum vestigium physiciæ prædeterminationis invenitur. Nam si illa colligatur ex verbo illo, per imperium potentiæ suæ, frivolum est, quia omne auxilium gratiæ, sive sufficiens, sive efficac, operatur Deus in nobis per imperium potentiæ suæ. Si vero id sumatur ex verbo illo, *fecitque vasa utilia Domino,* jam sæpe dictum est verbum *faciendi* generalius esse, et non limitari ad physicam prædeterminationem, quod magis significavit Basilius in sequentibus verbis, nam dicit *fuisse nos vasa Domino apparatus ad omne bonum ob promptitudinem,* etc. Nam longe aliud est, voluntatem reddi aptam ad operandum, ab eo quod est physice prædeterminari.

5. *Petrus Diaconus.*— Apparentius possent ex Basilio citari verba quæ Petrus Diaconus, de Incarn. et grat., cap. 8, refert in Oratione sacri Altaris, *quam* (ut ait) *pene universus Oriens frequentat;* suntque hujusmodi: *Dona, Domine, virtutem ac tutamentum; malos, quæsumus, bonos facito, bonos in bonitate conserva, omnia enim potes, et non est qui contradicat tibi; cum enim volueris salvas, et nullus resistit voluntati tuæ, quæ verba formalia in operibus Basili non invenio, tamen in Missa hæc habet æquivalentia: Deus omnis consolationis, inclinantes tibi sua capita custodi, muni, conforta, ab omni opere malo discedere fac, in omni autem opere bono coadjuva, et idoneos fac indignabiliter accipere incontaminata et vivifica mysteria in remissionem peccatorum, et Spiritus Sancti communionem.* Et prius pro Catechumeis sic orat: *Fac eos membra Ecclesie, et idoneos fac lavacro regenerationis et remissione peccatorum,* etc. Et infra pro ministris Altaris: *Idoneos fac virtute tua Sancti Spiritus in ministerio isto, ut indignabiliter stantes in conspectu sanctæ gloriæ tuæ, offeramus tibi sacrificium laudis; tu es enim ope-*

rans omnia in omnibus. At vero ex prima oratione, solum colligit Petrus Diaconus docuisse Basilium, per illam precem, non a seipsis, sed a Deo malos homines fieri bonos, nec sua virtute, sed divinæ gratiæ adjutorio in ipsa bonitate perseverare. Utrumque autem sufficienter fit per excitantem et adjuvantem gratiam sine prædeterminatione, idemque de cæteris orationibus dicimus. Similesque orationes inveniuntur in Missa Chrysostomi, et æquivalentibus nunc Romana Ecclesia utitur.

6. Quarto, Nazianzenus. — Quarto, allegatur Nazianzenus, orat. 31, ubi tractans illud ad Rom. 9: *Non est volentis*, etc., ait: *Ipsam etiam recte velle divino auxilio indiget; imo, ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa et electio eorum, quæ recta et cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans. Itaque quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo jure totum Deo assignavit.* Sed mirum est Nazianzenum in illo afferri pro illa sententia, cum ibi exponat verbum Pauli, *Non est volentis*, etc.: *Id est, non solum volentis hominis, sed etiam miserentis Dei*, quam expositionem non probavit Augustinus, non quia falsam doctrinam contineat, sed quia non explicat primarias vices, quas Deus in opere gratiæ habet etiam circa ipsam voluntatem. Alioqui tamen verum est, velle ita esse Dei, ut sit etiam nostrum, juxta regulam ejusdem Augustini, lib. 1 de Retract., cap. 23, et aliis locis.

7. Nazianzenus ergo in illo loco non solum non docet necessitatem auxilii prædeterminantis, verum etiam nec de certo modo auxilii loquitur, sed solum dicit voluntatem ad recte volendum divino auxilio indigere, et propterea rectam voluntatem divinum esse beneficium, et a bonitate Dei manans, quod tam ratione auxilii adjuvantis quam excitantis verum est. Quod vero ait totum esse assignandum Deo, ideo dixit quia non tantum operari, sed etiam ipsum velle a Deo est, quamvis etiam sit nostrum; vel id dixit, quia principaliter est ex Deo: *Nam cujus est quod est amplius, ejus dicitur esse totum*, ut alias dixit Chrysostomus, hom. 12 ad Hebræos. Unde in orat. 1, quæ est apologetica pro fuga sua, dixit idem Gregorius singularis et eximie Dei benignitatis argumentum esse, facere, ut nostra quoque aliqua ex parte sit virtus, et animi proposito excolatur, arbitriique libertate parem in utramque partem motum habente. Imo, orat. 38, quæ est in sanctam Nativitatem, de primo homine dicit, ita fuisse arbitrii libertate donatum, ut bonum

non minus illius esset qui elegisset, quam ejus qui semina præbuisset. Intelligendum autem est, non minus quoad absolutam utriusque influxum necessitatem, non quoad perfectionis seu efficaciam gradum.

8. Quinto, Cyrillus Alexandrinus. — Quinto, refertur Cyrillus Alexandrinus, lib. 1 de Adoratione in Spiritu, pag. 15, ubi exponens verba illa Genes. 10: *Cum vero mane factum esset, urgebant Angeli Loth dicentes: Accipe uxorem tuam, et duas filias, quas habes, et cæci*, ex illis sic colligit: *Indicium autem tibi sit valde manifestum, dum non solis verbis nos stimulat, et adhortationibus menti immittit, ut discedamus a peccato, sed tantam etiam benignitatem nobis exhibet universorum Salvator Deus, ut efficaci subsidio adjuvet, secundum quod scriptum est: Apprehendisti manum dexteram meam, et in consilio tuo deduxisti me. Nam quoniam hominis natura non valde generosa est neque satis idonea ut malum effugere queat, simul quodammodo nobiscum certat Deus, et duplicem beneficium concedere videtur, persuadens admonitionibus ut subsidium inveniamus, et fortius illud præstans, quam ut malum presens, et violentum prevalere possit.* Hæc enim sunt ejus formalia verba, quæ optime confirmant necessitatem gratiæ excitantis; quid vero faciant ad causam non video. Nam quod Cyrillus dicit dare nobis Deum auxilium, vel subsidium efficaciæ, nemo nostrum negat, sed quale illud sit, inter nos controvertitur. Cyrillus autem ibi non tractat de auxilio necessario ob concursum primæ causæ, sed ob humanæ naturæ fragilitatem.

9. Unde verisimile est solum loqui de efficaciam in actu primo, id est, de illa qua reddimur potentiores tentatione, ad vincendam illam. Hic enim est, ut alibi notavimus, frequens modus loquendi Sanctorum, maxime quando loquuntur de auxilio abundantiori, quod dat Deus homini, quem vult potentiorrem seu valentiorrem reddere quam sit tentatio. Quod auxilium, quantum ad consequendum effectum, sæpe est tantum sufficiens, quia homo illi non cooperatur; nam de se solum est quoddam præveniens auxilium, quod per internas adhortationes et admonitiones menti immittitur, ut Cyrillus explicat; adjuvans vero ac simultaneum auxilium indicat, dum ait: *Simul quodammodo nobiscum certat Deus.* Quod autem neutrum eorum prædeterminet voluntatem, significat, cum subdit, *nihilominus paucos esse qui virtutem exercent, sed qui talis est electus et divinam gratiam non per-*

funcionis assecutus. Unde paulo superius exemplo vocationis Abraham ordinem gratiæ in nobis describit, dicens: *Ubi vocati fuerimus, et divinam obediemus legibus et ad promptitudinem ac desiderium transierimus, quasi in terram omnibus bonis excelsam tunc Deus suæ cogitationis claritatem immittit.* Ubi post vocationem, non prædeterminationem, sed obedientiam requirit, non sine coadjutore Deo, ut postea declarat. Et hæc sententia Cyrilli est optima ad intelligendum vera esse quæ supra de mente Chrysostomi dixi.

10. Sexto, Athanasius. — Sexto, allegatur Athanasius super c. 2 ad Ephes., in illa verba: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis*, etc., eo quod ibi dicat Deum immutare voluntatem nostram, ejusque bona opera præparare ac prædefinire. Hoc vero testimonium, neque auctoritatem habet, neque efficaciam. Dico non habere auctoritatem, quia illud opus non est Athanasii, ut omnes docti sentiunt, unde inter ejus probata opera non collocatur. Et quamvis soleat tribui Theodoro aut Theophylacto, nihilominus illa verba in eorum commentariis super illum locum non inveniuntur, neque alia quæ ad rem præsentem aliquid faciant. Adde vero etiam non habere efficaciam, quia longe diversum sensum habet, quod dicitur Deus immutare mentem nostram, et præparare, ac prædefinire bona opera ejus. At vero Deus immutat voluntatem per auxilia excitantia et adjuvantia, et præparando hæc auxilia, quantum est ex se, præparat bona opera, vel efficaciter, vel sufficienter, præparatione utique æterna, ut dixit D. Thomas 1 parte, quæst. 23, art. 2, ad 3; et eodem modo illa prædefinivit, de quo verbo plura in superioribus.

11. Septimo, Cyprianus. — Septimo, refertur Cyprianus, lib. 3 ad Quirin., c. 4, ubi habet illam sententiam: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Et in expositione Orationis Dominicæ, circa illa verba: *Fiat voluntas tua*, quia licet his verbis nos postulare opem et protectionem Dei, ut in aliis non credentibus fiat voluntas Dei per conversionem ad fidem. At vero, tractans hæc loca, Augustinus, lib. 4 contr. duas epistolas Pelagianorum, cap. 9, et lib. de Prædestinat. Sanctor., c. 3, ex illis solum colligit nihil boni et pietatis posse ab homine fieri sine dono gratiæ Dei; et orandum esse non solum pro fidelibus, ut boni fiant, sed etiam pro infidelibus, ut convertantur, et ut libere convertantur, non quidem ex sola sua libertate, sed ex auxilio, et vocatione di-

vina, etiam congrua et efficaci, quæ omnia optime subsistunt sine physica prædeterminatione, cum tamen illa cum vera libertate componi non possit.

12. Octavo, Ambrosius. — Octavo, allegatur Ambrosius, lib. 10 in Lucam, ad illa verba c. 22: *Conversus Dominus respexit Petrum*, ubi, sub verbo *respexit*, intelligit internum gratiæ auxilium, et ait, quando Dominus non respexit Petrum, illum non flevisse: *Respexit* (inquit) *Jesus, et ille amarissime flevit.* Unde generaliter refert: *Quos Jesus respicit, plorant delictum*; quam expositionem et doctrinam probat Augustinus, lib. de Grat. Christi, cap. 45. Sed quidquid sit de expositione, de qua dixi alibi, doctrina est verissima, non propter physicam prædeterminationem, sed propter congruam et efficacem internam excitationem, quam et verba Scripturæ, et ipsius Ambrosii, et aliorum Patrum indicant. Ait enim Lucas: *Dominus respexit Petrum, et recordatus est Petrus verbi Domini.* Primus ergo effectus illius respectus fuit memoriam Petri excitare. Unde etiam Ambrosius dixit: *Respicit ut recorderis, et fatearis errorem*; et Augustinus, lib. 3 de Consensu Evangelistar., cap. 6: *Mihi* (inquit) *videtur illa respectio divinitus facta, ut ei veniret in mentem quoties jam negasset, et quid ei Dominus prædixisset, atque ita, misericorditer Domino respiciente, pœniteret eum, et salubriter fletet*; et lib. de Grat. Christi, cap. 45, de eadem respectione loquens: *Dominus* (inquit) *latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori sua gratia revivificavit Petrum.* Et similia habet Leo Papa, serm. 3 de Passione, dicens: *In illum conversa est veritatis inspectio, ubi erat cordis facienda correctio, quasi illi quædam vox Domini insonaret, ac diceret: Quid habes, Petre*, etc.; et serm. 9 inquit: *Vidit intuitu, et parentis animum, mox ut insperavit, erexit, et in fletus pœnitentis incitavit.* Hic ergo est modus quo Christi respectio cor convertit, illud excitando et illuminando, non physice prædeterminando.

13. Neque plus probant alia verba quæ ex eodem Ambrosio allegantur, lib. de Fuga sæculi, cap. 1: *Non est in potestate nostra cor nostrum*, etc.; et infra: *Quis autem tam beatus, qui in corde suo semper ascendat? sed hoc sine auxilio qui fieri potest? nullo profecto modo.* Duobus enim modis intelligi potest non esse in potestate nostra cor nostrum; scilicet, vel quantum ad consensum, vel quantum ad excitationem aliquam, vel tactum cordis per antecedentem cogitationem. Ambrosius ergo non

loquitur priori modo, nec loqui potuit, cum absolute loquendo fidei repugnet. Loquitur ergo in posteriori sensu, ut ex verbis ejus evidenter constat. Dixerat enim: *Frequenter irrepit terrenarum illecebra voluptatum et vanitatum offusio mentem occupat, ut quod evitare studeas, mente volvas, quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile.* Et postea subdit: *Non enim in potestate nostra est cor nostrum;* et adjungit: *Sed nostræ cogitationes quæ improviso offusæ mentem animumque confundunt, atque alio trahunt, quam tu proposueris, ad secularia revocant,* etc. Ad superandas autem et vincendas has cogitationes, requirit Ambrosius speciale gratiæ auxilium, non physicam prædeterminationem. Unde Augustinus, l. de Perseverant., c. 8, et l. 2 contra Julianum, cap. 8, et lib. 4 contra duas epistol. Pelagianorum, cap. 11, tractans hæc verba Ambrosii, nihil aliud ex illis colligit, nisi necessitatem divini auxilii, et illud inchoandum esse per sanctam cogitationem, quæ in nostra potestate non est; ac denique dicta verba explicat per illa Pauli: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

14. *Objicitur Hieronymus.* — Tandem objicitur nobis Hieronymus, primo, in Epistola ad Ctesiphontem, ubi, postquam retulit argumentum Pelagii, quod, si voluntas indigeret divino auxilio, non esset libera, illud improbat tanquam blasphemum et impium: *Nam per arbitrii libertatem (inquit) asserunt se nequaquam ultra necessarium habere Deum, et ignorant Scripturam: Quid habes quod non accepisti,* etc. Verumtamen argumentum ab hoc testimonio sumptum eundem habet defectum, quem sæpe notavimus, quia ex necessitate auxilii divini infert necessitatem physicæ prædeterminationis, quæ illatio nullius momenti est, ut per se constat. Sicut e contrario peccabat Pelagius, ex necessitate divini auxilii inferendo tolli libertatem, quæ nulla illatio est, quia auxilium excitans et adjuvans, seu concomitans, non repugnat libertati, alias etiam dependentia quoad generalem concursum libertati repugnaret, quod sensisse Pelagium in ultimo prolegomeno diximus, et valde probabile est illud etiam a Hieronymo impugnari; secus autem esset si argumentum Pelagii fieret contra solam physicam prædeterminationem; nam si illa esset semper necessaria, frustra diceretur voluntas libera, cum nunquam posset se determinare. Quia vero contentio Pelagii cum Catholicis non

erat de prædeterminatione physica, ideo frivolum erat argumentum Pelagii, cui etiam Hieronymus, tractando verba Pauli: *Non est volentis, neque currentis,* etc., occurrit, dicens: *Velle et currere meum est (utique per meam determinationem), sed hoc ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum.*

15. *Hieronymus.* — Et eundem sensum habent alia verba Hieronymi ad Ephes. 2, quæ non melius pro physica prædeterminatione afferuntur, cum vel illi nullo modo faveant, vel potius repugnent: nam circa illa verba: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis,* addit Hieronymus: *Hæc ipsa fides non est ex vobis, sed ex eo qui vocavit vos,* ubi aperte significat illud esse dictum a Paulo ratione vocationis, non ratione physicæ prædeterminationis. Et in eodem sensu subjungit: *Addidit itaque, et dixit fidem quoque nostram non nostræ voluntatis, sed Dei muneris,* quod ipsemet exponit, dicens: *Non quod homini liberum tollatur arbitrium, et, secundum illud Apostoli ad Romanos, non sit volentis, nec currentis, sed miserentis Dei, verum quod ipsa arbitrii libertas Deum habet auctorem, et ad illius beneficium cuncta referantur, cum etiam bonum nos velle ipse permiserit;* ubi maxime pondero verbum *permiserit,* directe enim opponitur verbo *prædeterminandi,* et usurpatum est a Hieronymo in generali significatione, explicando nobis quomodo divina gratia præveniens, per vocationem (ratione cujus dictum est illud: *Non est volentis, neque currentis,* et illud: *Hoc non ex vobis*), voluntatem non determinet, sed sinat operari bonum, si velit. Denique similia sunt verba ejusdem Hieronymi, in illa verba Jeremiæ 24: *Dabo eis cor ut sciant me, quæ comparat cum illis Pauli: Deus est qui operatur in nobis velle,* et utrisque doceri dicit, *quod non solum opera, sed etiam voluntas nostra Dei nitatur auxilio;* et cap. 26, circa principium: *In nostra quidem potestate positum est facere quid, et non facere, ita duntaxat ut quidquid boni operis volumus, ad Dei gratiam referamus, qui, juxta Apostolum, dedit nobis velle et perficere.*

CAPUT XLII.

AUGUSTINUM IN VOCATIONE CONGRUA, SINE PHYSICA PRÆDETERMINATIONE, EFFICACEM PRÆVENIENTEM GRATIAM CONSTITUISSE.

1. *Scopus et dispositio capitis.* — Tria in hoc titulo proponimus. Primo enim dicimus Au-

gustinum posuisse gratiam efficacem in quadam vocatione, et hoc probavimus late supra, cap. 5. Secundo, affirmamus illam vocationem, quæ efficax esse dicitur, talem dici et esse, quia infallibiliter consensum obtinebit, idque habere ex congruitate quadam ad eum cui datur, quam congruitatem præcivit Deus et observavit, ut illam daret, et cum illa non solum potestatem, sed etiam velle homini donaret. Tertio, negamus posuisse Augustinum efficacitatem vocationis in aliquo auxilio prædeterminante, ipsi vocationi adjuncto, et ab omni auxilio excitante distincto. Et hæc duo probanda a nobis sunt; et quia præcipua loca ex quibus sumuntur, eadem fere sunt cum illis quibus primum punctum probavimus, ideo breviter in singulis designabimus verba quæ ad rem præsentem faciunt, et illis alia testimonia, si occurrerint, adjungemus.

2. *Testimonium de efficacia vocationis per congruitatem ad hominem.* — Primo igitur Augustinus explicat efficaciam vocationis per congruitatem ad hominem qui vocatur, in lib. 1 ad Simplician., quæst. 2, ubi, postquam distinxit vocationem efficacem, quam vocat *effetricem bonæ voluntatis,* ab inefficaci, sic concludit: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem.* Unde subdit inferius: *Illi electi qui congruenter vocati.* Et infra: *Non volentis, etc., quia, etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ista vocat, quomodo eis aptum est ut sequantur.* Et infra: *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

3. *Defensio pro Augustino.* — Ad hoc testimonium quidam ex defensoribus alterius sententiæ, cum non posset negare in illo esse sermonem de congrua vocatione, ausus est dicere, in omnibus quæ ibi tractat Augustinus de vocatione congrua, non loqui ex propria sententia veritatem definiendo, sed solum disputando, et inquirendo usque ad illa verba: *Et tamen intueamur superiora, et inde nostram, quantum ipse Dominus dederit, sententiam proferamus.* Nam interrogando, et respondendo ac replicando, processerat usque ad illa verba, quæ præ se ferunt initium definitæ sententiæ, unde et in margine notatur, *conclusio quæstionis.* Sed hoc audiendum non est. Primo, quia idem Augustinus, lib. de Prædestinat. Sanctor., cap. 4, et lib. 2 de Retract., cap. 1, recognoscens et allegans quæstionem illam, illam simpliciter approbat, et laboratum in-

quit in ea esse pro libero arbitrio, et vicisse gratiam Dei. Secundo, quia ille modus interrogandi, quo Augustinus utitur, non est indicium dubitantis, quin ex alterius sententia loquentis; nam ille est ordinarius modus procedendi Augustini subtiliter inquirentis veritatem. Unde ad singulas interrogationes statim adhibet responsionem, et in ea propriam sententiam ad talem interrogationem pertinentem satis declarat, et ita ad quæstionem principaliter propositam resolvendam progreditur. In illa autem quæstione, cum principaliter proposuisset exponere verba Pauli ad Rom. 9: *Cum enim nondum nati essent,* etc., statim illa ex propria sententia explicare aggreditur, dicens: *Quo adjutorio fidentior factus aggredior. Et primo intentionem Apostoli, quæ per totam epistolam viget, tenebo; nimirum, quod gratia non detur ex meritis, sed ex liberalitate Dei.* Et ad declarandum et defendendum hoc fundamentum, utitur variis interrogationibus, per modum objectionum, quibus satisfacit distinctione vocationis congruæ et non congruæ, seu singularis et communis, ex proposito vel ex generali providentia. Et ita totam illam doctrinam affert, ut maxime propriam, et quasi denuo sibi revelatam, ut in citatis locis significat. Tertio, hæc mens Augustini ex aliis ejus locis colligitur, in quibus per eandem vocationem explicat mysterium divinæ gratiæ et prædestinationis, et quia in prioribus operibus suis parum de illa disseruerat, hoc ipsum tanquam proprium defectum ipse notat, lib. 1 Retract., c. 23. Qui ergo credibile est, in illa præcipua quæstione non esse locutum de vocatione ex propria sententia?

4. Quarto, si expositionem illam admittamus, tota doctrina, quam Augustinus tradit in illa quæstione per septem columnas, a principio usque ad dicta verba: *Et tamen intueamur superiora,* erit inutilis, ac nullius auctoritatis, quod absurdissimum est, et contra omnes qui postea scripserunt, et quæstionem illam allegarunt. Quinto, verba illa: *Et tamen intueamur superiora,* nihil colligunt, imo verum sensum dictum confirmant. Nam si per illa superiora totam doctrinam præcedentem intellegamus, potius inde colligimus, illa omnia tanquam vera et certa Augustinum supponere, et ex illis tanquam ex veris fundamentis a se jaectis principalem quæstionem resolvere et definire; si vero particula superiora (quod verius est) ad sola verba Pauli, quæ proxime tractabat, referatur, ex illis nihil colligitur contra doctrinam in eadem quæstione prius